



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXVII. Differentia 12. Secundùm leges legatus Principis, cùm mittitur ad
provinciam, vivere debet de rebus Fisci, vel Imperatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

XXVII.

DIFFERENTIA 12.

Secundum leges legatus Principis cum mittitur ad provinciam, vivere debet de rebus Fisci, vel Imperatoris. Auth. Ut nulli iudicium. Secundum Canones vero legati Papæ aliter recipiuntur, c. Inter, de offic. ordin. Galvan. 93.

I. Legatorum tria genera sunt: Nam primò aliqui cum proconsule mittebantur negotiorum publicorum causâ, secundò aliqui à provincia ad Principem cum mandatis publicè mittebantur, tertio alii ut præfides vel correctores à Cæsare cum mandatis & jurisdictione, l. pen. ff. de off. præfid. & de his in præsentis sermo est. Quod ecclesiasticos legatos attinet, alii vocantur de latere, alii nati, alii missi. De latere sunt Cardinales, quibus idem honor, qui Papæ exhibendus est. Nati officium legationis habent vigore dignitatis, missi non Cardinales vulgò appellantur nuntii apostolici, de quibus hic potissimè loquimur. Franc. Leon thes. eccles. Part. 1. c. 2. n. 18. & seq. Moscon. de maiest. Eccles. Part. 1. c. 6. Zervola Part. 2. v. Legati apostolici.

De legatis sæcularium Principum exat Auth. Ut nulli, Collat. 9. c. 1. cuius hic tenor est. Nulli liceat civili, aut militari Iudici circumire provinciam sine causa necessaria Si verò aliqua necessitas vocaverit, tale aliquid fieri. expensis propriis hoc facere jubemus. Item c. 2. Destinatus in provinciam nullum subiectis inferat dispendium, ereditum verò sibi opus ad

impleat. Tholosan. l. 35. c. 4. Azor. II. l. 4. c. 27. Georg. Schönberger l. 3. politis. c. 31. n. 3. ubi signatè Legati legativum, id est, sumptus necessarios ex publico habent, l. 2. S. His, qui, ff. de legat.

II. Aliter missos à Papa suscipiendos, alendosque sacris Canonibus præscribitur. Nam procuratio illis debetur, hoc est, alimenta necessaria frugaliter & moderate pro temporis necessitate, c. Assidentes, de præscript. c. Super eo, de censu & Barb. itid. Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de Reform. Conveniens enim videtur, ut, qui spiritualia seminant, carnalia metant. Quæ circa nullum Simoniz periculum est, quia non ut pretium exigitur procuratio, sed per modum stipendii. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. Soto de inst. l. 9. q. 6. art. 2. qui tamen existimat episcopos, quorum redditus valde pingues sunt, minus tuto percipere alimenta. Quæ opinio ab aliis DD. reprobatur, Canones enim absolute loquantur, & exigunt procurationem, nec minor est divitis episcopi labor, quàm inopis, Præterea, quicumque altari servit, de altari vivere debet, c.

Cum secundum, de præbend.